

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

### **Nummotheca Principum Austriae**

ex gazis Aulae Caesareae potissimum instructa, & aliunde aucta, quae a prima aetate, qua in Austria cusa fuit moneta Sub Babenbergicae Stirpis Marchionibus, Ad Usque Habsburgicae Gentis Principes, Lineae Hispano-Austriacae, Huiusque Masculum Ultimum Carolum II. Regem Hispan.

Complectitur tabulas aeri incisas num. XLI

**Herrgott, Marquart**

**Friburgi Brisgoviae, 1753**

[Text]

[urn:nbn:de:bsz:31-241482](#)

<sup>Tab.  
XXXII.  
seqq.</sup> (19.): cumque eidem tres filias filiumque, in prima tamen in-<sup>FERDI-</sup>  
fantia exstinctum, perperisset, morte mariti ad statum viduita-<sup>NANDUS  
III. IMP.</sup>  
tis redacta, vitam ad annum usque 1686. protraxit, quo piissime  
obiit die v. Decembris, exemplar virtutum ab omnibus habita.

Nummi FERDINANDI usuales tam in auro (26 - 31.) quam  
argento (32. - 47.) magno adhuc numero supersunt. Unciales  
provinciarum tesseras more solito præferunt. Singularis est, qui  
ob siglas vexatissimas plane atque obscuras, harum rerum cul-  
toribus crucem figit (34). Reliqua in ipso commentario mone-  
mus. KHEVENHILL. *Annal. Ferd. Theatr. Europ. &c.*

## NUMMI MNEMONICI ET ICONICI.

### I.

<sup>Tab.  
XXXIII.</sup> Antica hanc inscriptionem,  
sex lineis distinctam, atque coro-  
næ oleagineæ inclusam, complectitur : III. FER *dinandus*  
**CORONATVS. IN. REGEM. HVN-  
GARIÆ. VIII. DEC. embris.** Superius corona Hungarica inter  
duo parerga imminet, simili pa-  
rergo etiam in fine adposito.

In postica trutina bilanx de-  
pingitur, in cuius agina ex-  
aminis ac lingulæ locum, Salvato-  
ris, e cruce pendentis, imago  
tenet, adiecta hinc & inde æra  
Christiana 1625. ad comple-  
mentum inscriptionis adversæ  
faciente, ac in ambitu demum:  
**PIETATE ET IVSTITIA.**

Hoc lemmate FERDINAN-  
DUS etiam ut Rex Bohemiæ,  
immo ut Imperator quoque,  
quanquam alio modo, quod po-  
stea videbimus, usus est. In-  
scriptio argumentum eius satis  
clare eloquitur. Ceremonias,  
durante coronatione factas, sin-  
gulari tabula, ære exsculpta,  
exhibit Excell. KHEVENHILLE-  
RUS in *Annal. Ferdinandis* (a),  
ubi hunc ipsum quoque num-  
mum delineatum, *miffilem* vo-

cat. Peracta est autem Sempro-  
nii, habitis prius comitiis. Quo-  
circa etiam per pulchrum pietat-  
is Austriacæ argumentum tum  
proditum fuit, cum Rex fini-  
tis coronationis solemnibus, pa-  
trem accedens, coramque eo in  
genua provolutus, exosculatis  
manibus, eleganti latina Oratio-  
ne ob delatam sibi, eius cura  
atque sollicitudine, Hungariæ  
coronam, aliaque beneficia gra-  
tias egit, seque & in posterum  
enixe commendavit (b). *M.  
Imp. ar. missilis.*

### II.

Nummus ex utraque sui par-  
te præcedenti similis, sed minoris  
moduli, in nonnullis quoque  
vitiosus est. Siglae VIII. DEC.  
hic omissæ sunt, superante  
solummodo numero III. quæ  
num exesæ aut erasæ, aut præ  
nimia festinatione nunquam in-  
cise, aut nummus minus ac-  
curate cusus fuerit? dicere haud  
valemus.

In posticam pariter error ir-  
repit in voce IVSTIA pro IVSTI-  
TIA. Menda eiusmodi non ad-  
modum rara sunt in nummis mis-  
silibus; in his enim parandis ac  
feriundis monetarii, urgente co-  
ronationis solemnitate, non

Ee 3                        nun-

(a) Tom. x. ad col. 703.

(b) Id. ibid. col. 704.

FERDI- nunquam festinanter præcipitan-  
NANDUS terque agunt.  
III. IMP.

Etsi porro de altera a præcedenti nummi missilis specie, in hac coronatione adhibita, Illustr. KHEVENHILLERUS, aliisque nihil, quoad nobis constat, memorent: ex forma tamen eius facile iudicatur, illum ad id genus nummorum pertinere. *Ibid. ar.*

## III.

FERDINANDVS. III. D. ei G. rati-  
a HVNG. aria REX. In seg-  
mento æra Christiana 1627.  
Protome Regis iuvenis & ve-  
nustæ formæ, in habitu Hun-  
garico, cum pallio & insigni  
Ordinis aurei velleris, facie ob-  
versa, & capite mitra Hunga-  
garica cristata operto.

Æra hæc nos edocet, num-  
mum istum signatum esse, cum  
FERDINANDUS III. biennio ante  
iam *Rex Hungariae* renuntiatus,  
ad suscipiendam coronam Bohe-  
micam sese parabat, & quidem  
ætatis suæ anno undevicesimo.  
De ea mox dicemus. *Ibid. ar.*  
*sicilic. dempta media drach.*

## IV.

Adversa præposita corona  
arcuata, cum duobus palmæ  
ramis, hanc inscriptionem, quin-  
que lineis absolutam, comple-  
ctitur: FERDINANDVS. III HVN-  
GARIÆ REX CORONA: *tus in re-*  
*gem BOHEMIÆ. XXV. NOVEMB:ris.*

Adversa annum Christi 1627.  
refert, ceteris cum num I. &  
II. convenientibus.

De hac coronatione fusius  
agunt laudatus Illustr. KHEVEN-  
HILLFRUS (a), & ABELINUS

(a) *Ibid. col. 1418.*

(b) in Theatro Europæo, ubi  
nummos, in reditu post coro-  
nationem, populo large sparsos  
fuisse, referunt. Hos inter  
hunc quoque fuisse, quanquam  
magnitudo ac pondus, quæ ni-  
mia fere sunt, aliud suadere vi-  
deantur, ob formam eius atque  
similitudinem, quam cum aliis  
missilibus tenet, videri posset;  
verum illos magnatibus distribui  
solitos, dicemus infra. *Ibid.*  
*ar. pond. semunc. 2. dr.*

Tab.  
XXXII.  
b

## V.

Prior horum nummorum  
cum præcedenti, sola excepta  
magnitudine, convenit; alter,  
ex *recens-apertis Grossorum scri-*  
*nis* eductus, anteriori facie  
litteram maiusculam nominis  
*Ferdinandi*, medium inter duo  
ignitabula, ex torque aurei vel-  
leris desumpta, exhibit, subie-  
cto numero Romano III. inter  
notam chronologicam 1627. su-  
perpositaque corona Bohemica,  
duobus palmæ ramis, hinc inde  
prominentibus, exornata. Cetera,  
paucis exceptis, cum præcedenti  
conveniunt.

Non est dubium, quin &  
hi in eadem solemnitate populo  
missi, atque ex auro etiam cu-  
si fuerint, cum id, ut laudati  
auctores testantur, abunde, at-  
que ex utroque metallo factum  
fuerit. *Ibid. & M. S. B. ar.*  
*pond. 1. dr. G. C. locul. II. tab.*  
*XII. n. 105. p. 171.*

## VI.

FERDINANDVS: III: HVNGA-  
RIÆ: BOH: emia REX: A: rchidux  
noſter. (Ita fortasse legi posset  
hæc

(b) Tom. I. p. 1014. ad h. a.

<sup>Tab.</sup> XXXII. hæc ultima sigla , dummodo mendo careat : attamen mendum subesse , cum insuetus titulus suadet , tum , quod e contrario , omnia more solito & trito fluenter , si n litteræ & substitueremus , ita ut , quem admodum in aliis quoque bene multis , etiam hic legeretur : *Archidux Austriae.* ) Protome Regis armata cum paludamento , veterum more , tænia cum aureo vellere , lato & crispo collaris , nec non cum corona radiata in capite , ad lævam converso.

In aversa aquila cum pullo aduersus solem volitans , illumque irretorta oculorum acie intuens , quem pullus assequi conatur. Subiicitur in imo schema , cui lemma inscriptum : IMITABOR PARENTEM.

Nulli dubitamus , quin hoc miræ elegantia numisma solemnitati Regiæ coronationis Bohemicæ debeatur , cum id corona radiata atque lemma quoque , ceteraque omnia partim summo persuadeant opere , partim vero haud disconveniant. Ipsum etiam emblema valde adpositum est ; siquidem de aquilis creditum fuit , quod pullos suos contra solem aspicere faciant , atque eos , qui illum immota acie intuerentur , pro genuinis habeant , ceteros abiiciant velut spurios. Eset itaque hic numerus cum præstantissimis computandus , nisi lemma a regulis artis numismaticæ nonnihil abiret. *M. Imp. ar. pond. semunc. 3. dr.*

### VII.

Anterior facies exhibit sche-

(a) Prov. VIII. 15.

ma templi , cui a dextris e nubibus FERDI- & radiis supra tectum glorioſiſſi- <sup>NANDUS</sup> III. IMP. ma Dei Genitrix Virgo MARIA , nimbo ornata , Divinum Fusio- nem altera manu tenens , altera coronam radiatam sustinens , infi- det. Infra supra terram nudam FERDINANDUS III. una cum pa- tre FERDINANDO II. in genua provolutus , a puero IESU insig- nia , sceptrum & gladium , a B. Virgine autem coronam accipit , ad quæ noster palmam extendit , a patris dextra suffultus. Am- bo palliis , focalibus crispatis , & coronis instructi , siglis , eorun- dem nomina indicantibus , di- ſtinguuntur : corona quoque Im- perii Romano-Germanici & sce- ptro solus pater conspicuus est.

A finistris post schema tem- pli , cui in extremitate tecti crux imposta cernitur , alii duo Prin- cipes , palliis quoque conspicui , & genibus pariter nixi , ma- nus supplices tendunt. Prior pileo Ducali opertus , pallio Du- cum adscriptas habet siglas & numeros L VIII. quæ LEOPOL- DUM VIII. Ducem Austriae stir- pis *Babenbergicæ* , denotant : alter corona Imperiali redimitus , in pallio etiam Imperatorio adscri- ptas siglas F I præfert , quæ Cæſa- rem FERDINANDUM I. indicant. Additur , præmissa crucicula , in ambitu epigraphe , ex verbis S. Scripturæ (a) contexta : PER. NOS REGES REGNANT. ET CON- DITORES LEGVM. PIE IVSTA DE- CERNVNT PER. NOS PRINCIPES AVSTRIÆ IMPERANT. & in fe- gmento hæc leguntur : DVRA- BIT TALIBVS FVLTA PRÆSIDIIS. addito in fine fert.

Cauf-



FERDI-  
NANDUS  
III. IMP.

Caußam , cur in uno nu-  
mismate tot & tam diversæ æ-  
tatis sistantur Principum Au-  
striae icones , eloquitur in aver-  
sa parte , viginti omnino lineis  
complexa & lauraa cincta inscrip-  
tio , hisce verbis : *d. eo o. pti-  
mo m. aximo s. acrum LEOPOL-  
dus VIII. d ux a. austriæ PRÆD.  
icatorum ORDINI. SACRO TEMPL-  
u M. ET. COENOBiu M AMPLIS  
sim a. AB ANTIQVO. CONSTRV-  
CTA. DEDIT. ANNO. I. 2. 2. 5.*  
*FERDinandus I. IN SOLYMAN ni-  
CA. OBSIDIONE DESTRVCTA. RE-  
PARAVIT. ANNO. I. 5. 3. 0. FERD.  
inandus II. VICTOR. GLORIofu S.  
CONTRA REBEL. les REPARRA. ta  
DEFENDIT. A. nno. 16.20. AC  
RESTITVENDO PACEM. ET. RE-  
LIGIONEM. CONSERVAVIT. A. nno.  
16.2.1. DEMVM. FERD. inandus  
III. CONIVGIO. HISPANO. AV-  
STRIAC. o DEO DIVÆQVE. DEI-  
PARÆ. ROSARI. MARIÆ. TEM-  
PLVM. NOVVM. VOVIT. AC PRO  
FELICI. REGIMINE. ET. OMINE.  
ME POSVIT ANNO. REG. ni  
bohe m. ici III. VNG. arici v. CHRI-  
STI. M. D. C. XXX.*

Huic inscriptioni deest , quod  
multis aliis eiusmodi lapidaribus,  
ut sic dicam , nummis , quod  
nomen loci non sit additum : sed  
id discimus ex Annal. Austriae ,  
insigni atque eruditio admodum  
R. P. *Sigismundi CALLES S. I.*  
opere ( a ) , ubi anno circiter  
1226. vel 27. „ Prædicto-  
rum Ordinem ex Hungaria  
„ in Austria propagatam esse ,  
„ sedemque Wiennæ primum  
„ fixisse narrat : ibique templum  
„ S. Mariæ Rotundæ , quod

(a) P. II. L IV. p. 231.

„ Templariorum ad eum diem  
„ erat , sed aliquanto post tem-  
„ pore accepisse. „ Cum his-  
ce prima huius templi epocha  
fere convenit , utpote tribus  
duntaxat annis dissidens. Eun-  
dem tamen cum nummo annum  
assignat *Sigism.* FERRARIUS apud  
Cl. HANTHALERUM , qui id an-  
no 1225. completo , contigisse  
ait , cum paullo ante annum  
1226. indicasset ( b ). Quid-  
quid sit , ex chronico Anony-  
mi Leobiensis apud eundem Cl.  
CALLESIUM certum fit , illud  
anno 1237. iam consecratum  
fuisse. Reliquæ epochæ diffi-  
culty carent. *M. Imp. ar-  
pond. 5. unc. & sicilie.*

### VIII.

*FER. dinandus III. d: ei g:ratia  
hv:ngariae bo: hemiae DAL:  
matia cr: oatia scla: vonia REX.  
Protome Regis fere ut num. vi.  
verum caput eius corona Hun-  
garica redimitum est , & aureum  
vellus non a tænia , sed torque  
dependet. In imo denique ar-  
tifex nomen suum h g adposuit.*

*MARIA. d: ei g:ratia hvn:  
garie b. whemia REG. ina INF. ans  
HISP. aniarum AR. chidux AV:  
striae 1633. Protome Reginæ ,  
pulchre comta , torque & fo-  
calidenticulato ornatæ , capite si-  
ne corona dextrorum conver-  
fo.*

*MARIAM , cuius hic effi-  
giem videmus , PHILIPPI III.  
Regis Hisp. filiam , FERDINAN-  
DUS anno 1631. die xx. Fe-  
bruarii nuptum acceperat. Hæc  
ei-*

(b) Faſtor. Campili. tom. I. Dec. II. p. 715  
n. xxix.